



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacræ Theologiæ Professoris, Et sanctæ Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtvtibvs,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatvs De Conscientia, De Peccatis, De Legibvs, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de  
Lugduni, 1669**

Serenissimo Cosmo, Magno Etrvriæ Principi, Lvgdvnvm Ingredienti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](#)



SERENISSIMO  
COSMO,  
MAGNO ETRVRIÆ  
PRINCIPI,  
LVGDVNVM INGREDIENTI.

**M**AGNE HOSPES, REGIE SANGVIS,  
Commodè ac decorè hîc diver-  
saberis; Et hîc Dij sunt. Nempe  
Dij Manes ( vel vt castigatiùs  
loquamur, Memoria perennis &  
chara, assiduò mentibus locisque obversans )  
Civium mille Florentinorum, quos ante an-  
nos centum & triginta sinu suo excepit nostra

¶ 3      Lugdu

DE  
CASTRO  
PALACIO  
TOM.  
III  
EIV

Lugdunum :cùm illi, Patriæ pertæsi, sub Cosmo  
Primo felicitatem suam concoquere non po-  
tuissent. Vnde factum est , vt suadente animi  
vel magnitudine vel ferociâ , nec prohibente  
tritavo tuo Francisco Rege, Senatulum suum  
hîc instituerint, Reipublicæ Florentinæ com-  
pendium. Hoc in cœtu virorum fortium, Con-  
sul Nationis, quot calendis idibûsque , ante suf-  
fragia roganda carmen initiale personabat, *Porrò*  
*Quirites, libertatem amittimus! Tu sei all'estremo*  
*fato, cara Libertà!*

Tandem emollitis odiis , perspectaque toti  
Europæ Principum Mediceorum virtute ac  
moderatione , sponte recantarunt , filiosque suos  
meliora docuerunt , *Perieramus, filij, nisi periis-*  
*semus.*

Vtrorumque Animæ , PRINCEPS SERENIS-  
SIME , hodiernam diem felicis Adventus tui , è  
cœlo prospectant exultabundæ : Et qui sub terra  
requiescunt cineres , pias manus expectant  
Aulicorum tuorum , quæ sepulchra sua Liliis  
Gallico-Florentinis perspergant.

Interim Vrbe totâ discurritur , eunt redeunt  
nostrî cives , garriunt , interrogant , agunt &  
satagunt , CELSITVDINI TVÆ sese approbaturi:  
neque Te videndo expleri possunt , neque se  
continere quin interiorem affectum , animique  
devotionem vultu gestûque ostentent ; id ipsum  
alacriter opere & obsequio confirmaturi.

Inter

Inter tot irrequietos homines, patere MAGNE PRINCEPS, vt & nos doliolum nostrum ad Te volvamus. Ex eo Tibi affundetur cœleste nectar Doctrinæ sublimis, quam celeberrimus Hispanus septem hisce tomis SERENITATI TVÆ propinat, gnarus Te horum esse sitientissimum. Doceret ille Te, nisi jam scires, Quomodo cœlo cum terra conveniat, Principibus cum Deo, conscientiæ cum sceptro. Quas calles artes in memoriam Tibi revocabit, innumerásque ventilabit quæstiones Imperante dignas; De Principum & Subditorum mutuis officiis, De fide fœderum, De bello justo & pace injusta, De vectigalibus, De pecuniis & earum parttam legitimo quām spurio, De jure gladij, De præmiis & pœnis: Et quid non? Nec possit quispiam tomum aperire, quin statim oculis sese offerat materies aliqua vel Principe digna, vel viro Christiano.

Ogganniet barbarus aliquis, Quid Principi cum Libris? quid Martio Sanguini cum sanguine frigido Literatorum? Sed tacebit semi-homo Centaurus, quum didicerit, nihil ignorantia frigidius esse, nihil stupidius. Literæ temperatum poscunt, non frigidum: Asinus animal est frigidissimum: De Magnatibus autem imperitis notum est Alphonsi Regis dicterium, Asinos esse coronatos.

O quām egregiè ab hoc opprobrio sese ven-

¶ 4 dicarunt

DE CASTRO  
PALACIO  
TOMI,  
III.  
E.

dicarunt Heroes tui Medicéi! Qui cùm Patres Patriæ vocarentur , non degnati sunt vocari simul Patres Literarum. Nec ipsæ fuerunt ingratæ filiæ ; quippe quæ laudibus suis atque præconiis immortales reddidere tuos Laurentios, Franciscos, Ferdinandos, ac ingentia nomina Cosmos ; duorum quoque Leonum , Clemensisque Coronas novem. De duodecim autem Coronis, ac duodecimo Leone , Fata videbunt; Certè Leo latet in nomine Leopoldi ; Et sicuti pollet pollex inter digitos , ita Leopoldus Leo pollens inter fratres suos.

Quicquid futurum sit , id nunc instat , vt ad propinquiora gaudia properemus. Nove Vlysses, tot defuncte laboribus atque periculis , in tua plusquam Ithaca , tua te expectat plusquam Penelope ;

*Laërtéisque senex , Telemachusque puer.*

O chara capita! ô sanctum , ô augustum Ternarium ! quem & insuper duplicabit optata tua præsentia , Patruusque gloria Purpuræ , & Virguncula magni Avi deliciæ.

— His sex innixa columnis  
Stat Domus Etrusca , & longos perstabit in annos :  
Imperio augecente augebunturque columnæ.

Angeli Limitanei , qui fines Italiae & Galliae , servant observantque , Tibi per Alpes prope ranti viam sternant facilem & securam ; Tuæ que

que Serenitatis custodes indefessi , Illam aligeris  
suis fratribus & collegis , à statione in stationem,  
illæsam tradant & commendent : donec ad  
Apenninum tuum salvus & incolmis perve-  
nias ; Florentiāmque , florem Vrbium , Italiæ  
decus , & Europæ ocellum pertingas . Illic au-  
dientur populorum acclamations , vota , plau-  
sus , & exultatio . Ipsemet subsultabit Arnus ,  
sive spiritu quodam gaudij ipsum agitante , sive  
ex fragore , quo bellica tormenta quæ Stephano-  
nitæ tui Turcis eripuere , circuntonabunt .

Dum hæc apparantur , Nos minore strepitu  
munuscum hoc CELSITVDINI TVÆ conse-  
cramus ; summissè rogantes , vt illud vultu ex-  
cipias Tuo ; id est clemente , sereno , augustè  
amabili , & vt vno verbo dicamus , Medicéo .  
Offerebamus Lugduni ad Ararim .

Tuæ Serenitati

Addictissimi & devotissimi ,  
IOAN. ANT. HVGVTAN ,  
& GVILL. BARBIER.

DE  
CASTRO  
PALAO  
TOM.  
I. II. III.  
ENV.